

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6524

Autre(s) référence(s) : Bates 198 / ARTEM 1985 / Round 1194

Auteur(s) : Richard de Courcy [particulier]

Bénéficiaire(s) : Barthélemy, Tours, Saint-Martin de Marmoutier (abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1071-1079]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard [II de Courcy] donne à l'abbaye Marmoutier l'église Saint-Vigor près de la Dives (à Perrières).

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 198, p. 629-631.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 1194. Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, *Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100*, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 119.

Dissertation critique

Datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 629-630).

Texte établi d'après a

Quisquis fidelium ardore succensus ad implendæ preceptionis evangelicæ qua cuncti divitias habentes misericorditer admonentur facere sibi amicos de Mammona iniquitatis a quibus cum defecerint in æterna tabernacula recipiantur, necessitatibus communicare studuerit indigentium, precipueque pauperum spiritu quorum iuxta veritatis vocem regnum dinoscitur esse cælorum ut deficiens ab huiusmodi videlicet amicis in mansiones excipiat aeternas noverit se indubitanter non solum a sui receptione non esse frustrandum, sed etiam ab ipso omnium bonorum largitore qui ei contulit unde sibi faceret tales amicos se esse inter gloriosiores beatitudinis aeternæ premia percepturum. Qua salubri consideratione, ego Ricardus sollicitatus disposui aliquid ex his quæ temporaliter accepi per manus pauperum omnipotenti Deo in hac vita committere quod post tempus in aeterna retributione centena merear multiplicatione recipere, quod ut probabilius fieri possit illud egregium genus pauperum elegi ad hoc faciendum, quod se et sua relinquens propriisque abrenuntians facultatibus voluntarium subiit paupertatem. Igitur fratribus his qui in Turonensi coenobio quod Maius Monasterium dicitur omnipotenti Deo sub BARTHOLOMEO abbate famulantur, auctoritate mei domini regis Wilelmi et dominæ meæ reginæ Meheldis, aliquid ex meis rebus quæ hereditario iure mihi contingunt, et annuens concedo et concedens annuo, iure perpetuo

possidendum quatinus supradictus dominus meus rex et regina et filii eorum Rotb(er)tus videlicet et Guilelmus, necnon et ego et mea coniux Gandelmodis et filii mei Rotb(er)tus et Guillelmus eorum qui ælemonis divina maiestati placuerunt, mereamur adiungi consortio. Ut autem quantitatis sive integritatis earundem rerum omnis procul pellatur ambiguitas, earum nomina subter scribere curavi, donando aecclesiam in honore sancti Vigoris constructam non longe sitam a fluvio qui appellatur Diva, et omnia quæ pertinent ad ipsam aecclesiam, et quæ videar habere in meo dominio, et quæ alii videntur habere de me in parrechia prefatæ aecclesiæ, tam presbiter quam cæteri homines, data quoque licentia a me faciendi stagna prout oportunitas loci qui est non longe ab aecclesia exigerit. Additur huic dono decima duorum molendinorum quamdiu mihi comes vita fuerit, addito quoque uno modio annonæ per singulos annos ultra decima ipsorum molendinorum ad victum monachi in eodem loco consistentis, et cum morte finiero medietas multuræ ipsorum molendinorum veniet in dominium sancti Martini. Simili quoque modo concedo tantum terre quantum exigit exercitatio unius carrucæ ad totam suffitientiam per tres sationes, necnon et decimam illius carrucæ quam tenet de me presbiter Gausbertus cum morte finierit, et feriam quæ colligitur in supradicto loco annuatim ad festivitatem sancti Vigoris. Quæ omnia sicut sunt per ordinem huius narrati onis digesta libera et quieta ab omni interpellatione calumniæ facio, ita ut ab hodierna die sine ulla vel mea cuiusquam successorum meorum contradictione supradicta congregatio sancti Martini et omnes abbates qui eidem congregationi pro tempore preerunt liberam potestatem habeant faciendi, ordinandi, et qualitercumque eis placuerit, meliusque visum fuerit disponendi ea tam presentibus quam futuris temporibus. Et ut hoc scriptum per cuncta annorum curricula vigorem perpetuitatis obtineat, Wilelmus ille nominatus simul rex Anglorum filius Rotb(er)ti comitis, manu sua firmavit, fidelibusque suis corroborandum tradidit, quorum nomina subscripta sunt. Siquis autem quod absit ex heredibus nostris diabolicæ suggestionis instinctu huic scripto inferre calumniam temptaverit, et pravæ voluntatis effectum iniustitiæ convictus obtinere non valeat, et comiti qui pro tempore fuerit auri cocti libras decem coactus exsolvat.

+ Signum Wilelmi regis.

Signum Maheldis reginæ.

+ Signum Joh(ann)is archiepiscopi.

Signum Odonis episcopi.

Signum Gisleb(er)ti episcopi.

Signum Rotgeri de Bellomonte.

Signum Eudonis Aldu.

Signum Radulfi de Montepinzonis.

Signum Wilelmi de Archis.

Signum Walterii Giphardi.